



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eidem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

*ACHERUNTINO  
Archiepiscopo.*

*Epist. 164.  
Vi. Ecclesia S.  
Petri de Ma-  
tera ad men-  
sam Archiepi-  
scopi Acherun-  
tini restituarur.*

**A**D audientiam apostolatus nostri pervenit quod cum Ecclesia sancti Petri de Matera, quæ ad mensam dignoscitur Acheruntina Ecclesiæ pertinere, à bonæ memoriæ R. & P. Acheruntina Ecclesiæ Archiepiscopis fuisse quibusdam minùs licitè infeudata, felicitis recordationis P. ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopus ad venerabilem fratrem nostrum Potentin. Episcopum super hoc commissionis litteras à sede apostolica impetravit. Qui personaliter ad locum accedens, Ecclesiam ipsam mensæ Acheruntina restitui sententialiter judicavit. Nos igitur sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, ratam habentes & firmam, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI. Idus Augusti.

*E I D E M.*

*Epist. 165.  
Vindicat Eccle-  
siam integrè  
restituarur.*

**C**VM de latere nostro fueris in Archiepiscopum Acheruntinum assumptus, tam te quàm Acheruntin. Ecclesiam specialiter honorare disponimus, in his præsertim quæ justitiam sapiunt, & continent aequitatem. Sanè significasti nobis in nostra præsentia constitutus, quod cum in quibusdam locis tuæ diocesis integrè quondam decimæ solverentur, dum prædia, de quibus decimæ proveniebant, essent in secularium potestate, postquam possessionum ipsarum dominium ad religiosos quosdam seu ecclesiasticos viros devenit, cultores earum, quia decimas ipsis religiosis seu ecclesiasticis viris exhibent terragij ratione, decimas Ecclesiis non persolvunt. Præterea homines de Matera, licèt decimas integrè non persolvant, eas tamen quas solvunt pro motu voluntatis propriæ dividentes, quandam partem Ecclesiis, quandam pauperibus, quandam suis patrinis impendunt. per quod tam tuo quàm Ecclesiarum juri non modicum derogatur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precibus annuentes, ut cultores possessionum, de quibus decimæ Ecclesiis constitutis in diocesi tua debentur, ad ipsas, non obstantè eo quod pro terratico solvunt, cum integritate reddendas, & ut homi-

nes de Matera eas de cetero aliter dividere vel distribuere non præsumant, sed ipsas Ecclesiis quibus debent sine diminutione persolvant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem. Ad hæc, auctoritate tibi præsentium indulgemus ut possessiones spectantes ad mensam tuam alienatas illicitè, legitimè tibi liceat revocare. Præterea cõcessiones Ecclesiarum & præbendarum non vacantium à prædecessoribus tuis factas contra statuta Lateranensis Concilij præter apostolicæ sedis mandatum, præsentium auctoritate cassamus, concessa tibi libera facultate testamentum de bonis Ecclesiæ Acheruntina à prædecessore tuo factum contra canonicas sanctiones auctoritate apostolica revocandi. Nulli ergo &c. concess. & cassationis &c. Dat. Lat. VI. Idus Augusti.

*ASISINATI EPISCOPO.*

**S**icut nobis tuis litteris intimasti, cum aliquos tuæ diocesis Clericos vel laicos culpis suis exigentibus excommunicationi supponis, ipsi postmodum ad te, nulla satisfactione præmissa, sine testimonialibus litteris redeunt, dicunt se absolutionis beneficium recepisse. Quibus si credi debeat in hac parte, per nos instrui suppliciter postulasti, cum propter causam hujusmodi, sicut dicis, tuæ sententiæ à subditis contemnantur. Nolentes itaque malitiis hominum indulgere, fraternitati tuæ taliter respondemus, quod nisi excommunicati à te super absolutione sua litteras nostras, vel illius cui vices nostras in hac parte commissimus, reportarint, aut alio modo legitimo de illorum tibi absolutione constiterit, tu eorum absolutioni fide non habita, ipsos pro excommunicatis, ut priùs, habeas, & facias evitari. Datum Laterani II. Idus Augusti.

*ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS,  
Comitibus, Baronibus, Civibus, & uni-  
verso populo in regno Siciliæ constitutis.*

**A**D reconciliationem & receptionem Marcoualdi debitum officij pastoralis, quo tenemur omnes ad viam rectitudinis revocare, ac redeuntibus recipere, nos induxit, & optata regni tranquillitas invitavit ut simul & humiliaremus hostem, & humiliatum & pœnitent-

*Epist. 166.  
Quod excom-  
municati abso-  
lutionis litteras  
exhibere te-  
neantur.  
Cap. Sicut no-  
bis, de sententiâ  
excommunicat.*

*Epist. 167.  
De absolutione  
Marcoualdi.*